

AD MARTIANUM CAPELLAM

I

1. 3 K. (p. 5, 5 Dick.) ...idque deditum mundo loquax tri-
viatim dissultaret humanitas...

566 K. (p. 284, 15) nonnulla promet, quae novella texuit,
deditaque fient, quae vetustas praeterit.

922 K. (p. 490, 17) denique numeros cogitabilium motio-
num totiusque voluntatis impulsus ipsa rerum dispensans con-
gruentiam temperabam, quam rem debere mortalibus universis
Theophrastus laboravit.]

Horum locorum primo Grotius *deditum* legebat; altero loco
Bambergensis ante correcturam *diditaque* habuit; tertio Eyssen-
hardtius *dedere* maluit, unde venit mihi in mentem, *didere* a Mar-
tiano scriptum fuisse. Itaque quaerendum videtur, qui sensus sit
huius verbi *dido* quamque sit veri simile *didere* a librariolis in
dedere depravatam esse. Et de significatione quidem nulla pugna
est; nam *didere* sensum habet dividendi, dispergendi, inter plures
dispertiendi. Sic senex ille Caecilianus filio dicit, «dide ac disice»,
hoc est sperde et diffunde in varios sumptus pecuniam tuam;
neque ullum fore credo, qui hunc sensum his locis, quos supra
posui, optime congruere neget. Videamus igitur quantopere in
hoc inusitato verbo librarii titubare soliti sint. Apud Plaut.
Merc. 58 pro vera lectione *didere* codices habent *diedere*; *Mil.*
Glor. 707 pro *didam* est varia lectio *dicam*; *Pers.* 757 *dividam* in
codd. legitur, pro quo multi editores *didam* maluerunt. Lucretio
magnopere placuit hoc verbum, quod singulis locis unus vel
alter liber corruptit: 2, 1136 *diditur*, v. l. *deditur*; 3, 245 *didit*,
vv. ll. *dedit*, *edicit*; 3, 477 *diditus*, v. l. *deditus*; 3, 707 *diduntur*,
v. l. *dividuntur*; 4, 240 *didita*, v. l. *dedita*, ut et 5, 20; 5, 268 *didi-*
tur, v. l. *dividitur*; 5, 1093 *diditur*, v. l. *deditur*. Apud Vergilium
bis positum reperimus: *Aen.* 7, 145 *diditur*, v. l. *deditur*, quae
quidem lectio in omnibus fere antiquioribus invenitur; *Aen.* 8,
132 *didita*, pro quo item *dedita* habent codices nonnulli neque
illi spernendi. Horatius semel adhibuit *sat.* 2, 2, 67, ubi Bernensis
noni saeculi *dedit* pro *didit* exhibet. Nihil *dicam* de Prudentii loco

Peristeph. 2, 91, ubi Heinsius *didita stipendiis* pro *dedita stipendiis* reponebat. Non ignarus sum, harum variarum lectionum maximam partem a nostrae aetatis editoribus taceri, quippe quae in deterioribus codicibus inveniuntur; sed si velis scire, quomodo delirarint scribae, melius te docebunt deteriores, quam optimi quique codicum; recteque Havetius mendacem vocavit illam simplicitatem, quam nimis saepe in apparatu critico videre est. Sed ad rem redeamus, quae nunc palam est: quoties apud auctores Latinos verbum *didere* positum erat, gravissimum periculum instabat, ne *dedere*, verbum multo usitatius, scribarum negligentia supponeretur. Itaque non dubito equidem his tribus locis *diditum*, *didita* et *didere* reponenda esse; nam mirum esset, si is qui Martiani archetypum exaravit, homo bestialis inscitiae, ab eiusmodi errore manus abstinisset, quam apud alios auctores tam late grassantem vidimus.

2. 23 K. (p. 17, 13) Nihil igitur immorandum, quippe cum impigrum gerendorum sciat esse Cyllenium.

538 K. (p. 268, 17) ...ut non tantum firma, verum etiam celeri comprehensione res verbaque percipiantur.]

His duobus locis eiusmodi error versari videtur, quem alibi saepe apud Martianum deprehendas: quippe pro passivis activa vel pro activis passiva reperiuntur, omissa vel perperam addita *-ur* syllaba, quae sine dubio per compendium scripta erat. Primus quidem occurrit notissimus locus 7 K. (p. 8, 1 D.), ubi pro *Anie* Grotius *Uranie* reposuit: scilicet *monstrabat uranie* nescioquis scriba perperam distinxerat et *monstrabatur anie* fecerat; dein *monstrabat* pro *monstrabatur* alius aequè somniculosus scripsit. Similis lectionum varietas reperitur 18, 18 D. *captet(ur)*; 19, 18 *concinat(ur)*; 35, 4 *alligabat(ur)*; 100, 15 *corripiumt(ur)* aut *producunt(ur)*; 109, 4 *terminat(ur)*; 117, 8 *dicebant(ur)*; 129, 13 *terminatur | -antur | -ant*, et similia 138, 6; 131, 3 *finiunt(ur)*; 187, 19 *debeat(ur)*; 189, 12 *impleat(ur)*; 224, 6 *imponit(ur)*; 227, 23 *advertant(ur)*, et aliis locis non paucis. Quae cum ita sint, Martiani locos iterum inspiciamus. *impigrum* et *Cyllenium* habent Leidens. 36 et prima manus Bernensis 56b, cum ceteri fere *impiger* et *Cyllenius* legant. Vel caecus videbit Martianum *sciat*ur posuisse, quod cum in *sciat* usitato errore corruptum esset, nonnulli librarii ita locum emendare sategerunt, ut accusativos pro nominativis reponerent. De altero loco illud ausim dicere, ne Martianum quidem nescivisse, quid inter pedestrem sermonem heroicumque carmen interesset: quippe plus quam dimidius versus est illud *res verbaque percipiantur*. Non dubito Martianum

percipiat (sc. memoria) scripsisse; quo me ducunt et Reichenauensis liber et Monacensis, apud quos *praecipiant* pro *percipiantur* legimus.

3. 62 K. (p. 29, 11) Tunc elementorum praesules atque utilitatis publicae mentiumque cultores omnisque populus potestatum quis Numae multus successor indicat, qui confestim omnes Iovis imperio convocati, in aulam caelitem convibrantibus venere sideribus.] Hic locus misere torsit interpretes, inter quos Johannes Scottus solito ineptius: «hoc est, quis ex successoribus Numae, dum sint multi, innumerabilem numerum falsorum numinum potest indicare?» Sed interrogatio ista, quasi Martiani secum loquentis, nescioquid absurdi habet, unde demiror Dickium, hominem minime malum, eandem interpretationem amplexum esse. Verum alii diversis modis sententiam aliquam concinnare conati sunt. Grotius quidem sic: «cum quis Numa multusque successor indicatur»; Koppius vero: «quis Numae multus successor indicatur», quasi vero caelestis quidam nomenclator digito demonstraret numinibus Romanorum reges. Audacius forte Eyssenhardtus, sed, qui ei mos fuit, minime absurde: «qui Numae nulli successori indicantur», id est, puto, etiam ei qui Romanis non innotuerant. Dein pronomen *qui* uncis inclusit Eyss., quod commode abesset, licet Martianus a tali verborum structura non abhorreat (cf. 14, 3 «quae diversa specie metallisque formatae»). In tanta opinionum diversitate quaeramus primum quid dicere debuerit Poenulus noster. De dis loquitur qui ad Philologiae nuptias corrogati sint; et potiores quidem jam enumeravit, ut ad postremam Olympi faecem et sine nomine turbam nunc veniendum sit. Itaque haec numina non suo quodque nomine, sed quibusdam definitionibus notat, ut *elementorum praesules* etc., et, ne quem omnino omittat, addit *omnisque populus potestatum* et quae sequuntur. Sed hic in quodam incili haeremus, nam quae sequuntur incertissima videntur. Unum tamen elucet, de Numa Pompilio hic agi; quem Numam bene scimus in deis enumerandis et nominandis multum operae et olei consumpsisse. Hinc ansam tenemus, qua verum loci sensum apprehendamus. Nam libros quosdam composuit Numa, quibus omnia omnium deorum nomina continerentur, quos Indigitamentorum libros posterius nominabant. Sic Servius ad versum illum Vergilianum, «dique deaque omnes, studium quibus arva tueri», haec notat: «Nomina haec numinum in Indigitamentis inveniuntur, id est in libris pontificalibus, qui et nomina deorum et rationem ipsorum numinum (nominum?)»

continent». Igitur, si quis vellet deorum nomina invenire, qui utilitatibus publicis, utputa arvis recte colendis, praesent, Numae libros evolvere debebat, ut recte indigitare posset: indigitare enim erat deos propriis nominibus et titulis invocare. Nam, ut ait Censorinus c. 3: «Alii sunt praeterea dei complures, hominum vitam pro sua quisque portione adminiculantes, quos volentem cognoscere Indigitamentorum libri satis edocebunt». Sic Macrobius *Sat.* 1. 17, 15: «virgines Vestales ita indigitant: Apollo Medice, Apollo Paean», et 1. 12, 21: «hanc eandem Bonam Faunamque, Opem et Fatuam pontificum libris indigitari». Sed notandum hoc loco codices NT habere *indicitari*, P vero *indicari*. Suem nunc auricula tenemus. Scripsit Martianus: «quas (i. e. potestates) Numae multus successor indigitat». Verbum insolitum a monachis depravatum esse non est quod miremur. Et *multus successor* pro eo, quod est multi successores, scrupulum movere non debet, cum Maro ipse scripserit «quamvis multa meis exiret victima saeptis». Vix monendum videtur verbis «successor indigitat» clausulam Martiano usitatissimam effici.

4. 94K. (p. 40, 22) ... ut deinceps mortales, quos vitae insignis elatio et maximum culmen meritorum ingenium in appetitum caelitem... extulerit, in deorum numerum cooptentur.]

Qui Dickii apparatus vel uno oculo semiaperto inspexerit, videbit (id quod nec ipsum Dickium effugit) *ingenium* in libro nostrorum archetypo scriptum fuisse; nam illa *ingeniumque et et ingenium* fatui commenti sunt monachi. Sed *ingenium* non eiciendum: lege *ingentium*, nam una hac litterula addita sensum idoneum habebis.

5. 141K. (p. 61, 15) ... praeciens omnia, quae adhuc mortalis adversum vim superam in praesidium cooptarat, expelleret; quippe caducae mortalisque substantiae istaec esse minima memorabat.

In vocabulo *minima* haeserunt editores, quod Eyssenhardtus quidem, cui sensu carentia displicerent, prorsus exturbavit. Sed saevior videtur illa chirurgia, si diæta morbus curari potest. Grotii codex *minimanima* legisse dicitur, quod aequè absurdum est. Posset autem haec lectionis varietas ex vocabulo *munimina* oriri; nam ab huiusmodi abstractis non abhorret Martiani stilus, ut *contamen*, *effamen*, *examen*, *figmen*, *flamen* (= afflatus), *modulamen*, *molimen*, *ornamen*, *susurramen*. *Munimina* h. l. sunt ea praesidia, quae Philologia in caelum ascensura, ne siderum calore ureretur, sibi comparaverat (sup. 110K.).

6. 222 K. (p. 81, 25) certe loquentur illae (sc. Artes) / quicquid erat docendum.] Promittit Martianus fore, ut Artes omnia, quae docenda erunt, apud deorum senatum edisserant. Sed verbum illud *erat* tam metro quam sensui repugnat. Metro quidem mederi voluerunt manus correctrices in Leidensibus 36 et 88, *ferant* reponentes: sensui satis fecit qui *erit* scripsit, numeris laecasin jussis. Sed vereor ne Poenulus noster, cui insulsa anti-quitatis affectatio placuerit, *fuat* scripserit, ut 327 K. *nil normale putans ni fuat associum* et 262 K. *ut fastigetur* (sc. syllaba) *longa brevisque fuat*. Turbas dabat librariolis forma haec *fuat*, ut Lucr. 2, 383 *fluat*, ubi Bentleius vidit *fuat* legendum esse, et (ni fallor) 3, 685 *afluat*, licet Lachmannus *arceat* quam *afuat* legere maluerit; cumque videamus et *ferat* et *ferant* h.l. legi, paullo libentius eum audire debemus, qui notissimo Maronis loco *quisve fuat* pro *quidve ferat* reponebat.

7. 252 K. (p. 93, 16) H aspirationis notam esse certissimum est. quae quando vocalibus accedit, ut hospes et heres. transit in X, ut traho, traxi.] Sic Dickius, cum sibi persuasisset *quando* hic pro *aliquando* positum esse. Satis inepte illud quidem, sed etiamsi ferri posset ea interpretatio, pronomen *quae* mire positum videretur. Nam per totum hunc locum, ubi de mutis agitur (92, 13–95, 2), nusquam sic adhibetur relativum, sed asyndeto potius utitur Martianus. Levis est correctura, pro *quae quando*, quod duplici vitio laborat, *quandoque* reponere; quo facto omnia sine difficultate procedunt.

8. 573 K. (p. 286, 12) Arcibus urbanis veteres tibi templa sacrarunt, quod ratio amplificet, quodque est elatior, urbes.] Sensus huius loci satis apertus est, sed neque numeri neque syntaxis magnopere me delectant. Cur Martianus in colis parallelis primum coniunctivum, deinde indicativum adhibuerit, non video, cum facile fuerit *amplificat* scribere; et durior certe videtur ista trajectio. In vocabulo *quodque* haesisse videntur scribae, *quoque* vel *quoque illa* in quibusdam libris scribentes. Itaque veri simile mihi videtur Martianum scripsisse «quibus est elatior», i. e. quod ratio amplas faciat eas urbes, quibus in arce posita praesidet. Certe coniunctivus modus magis placeret, sed si quis volet ita legere «quod ratio amplificet quis sit praelator urbes», is mihi Martianum corrigere, non librariorum videbitur.

9. 623 K. (p. 306, 5) Nam Atlantici profundi ex Gaditano freto vis intersecans profunda telluris Libycum Hïbero latus abscondit.

666 K. (p. 330, 12) Ceterum in Atlanticum litus oceani re-

meantes per Aquitaniam extremam extremaque Europae in Britanniam revertuntur.]

A posteriore loco ordiamur. Quid, quaeso, est Atlanticum litus oceani? Nam cum oceanus ipse sit Atlanticus, omnia ejus litora Atlantica erunt, ridiculusque videbitur Martianus, qui de Atlantico litore Atlantici maris loquatur. Sic enim hodie dicimus <die atlantische Küste Europas>, non <die atlantische Küste des Ozeans>, quod ne pueruli quidem non deriderent. Itaque censeo *Atlantici litus oceani* legendum; nam nihil hoc errore usitatus, ut adjectiva ad proxima sibi substantiva vel obtorto collo traherentur. Quam quasi ansam nacti, ad priorem locum redeamus, quem editores ita emendare temptaverunt, ut vocabulum *profundi* exulare juberent. Sed *Atlanticus* vel *Atlanticum* nude positum apud Martianum numquam reperitur, qui semper *oceanum* vel *mare* adjungit (*oceanus* p. 307, 20; 308, 13; 330, 12 ut supra docui; 331, 1; *mare* 334, 15). Itaque hoc loco libentius credam eum *Atlantici profundi* quam *Atlantici* scripsisse. Sed illa *profunda telluris* quae sint, velim mihi Apollo explicet, vel potius Dis Pater, nam de ejus regno statim cogitavisset quicumque Romanus in haec verba incidisset; neque miraretur quisquam in freto illo terrarum profunditatem, sed potius (ni novellum vocabulum explodatur) proximitatem. Et hinc sensus loci elucet: scripserat Martianus *intersecans proxima telluris*, id est, ea loca ubi terrarum litora sibi proxima sunt; neque insolito more peccavit librarius ille, qui, cum *profundi* in animo haberet, non *proxima* sed *profunda* nimia festinatione scripsit.

10. 466 K. (p. 231, 17) Quod quaestionis genus hoc a principalibus statibus differt, quia non de facto, unde orta causatio est, sed de scripti tantum definitione disquiritur. discutitur igitur ab his legalibus status principales esse discretos, et hos incidentes dici, illos autem, a quibus causa nascitur, vel constitutiones vel status rectius appellari.] Non adeo a Romanae linguae consuetudine abhorrebāt Martianus, ut tam foedum homoeoteleuton vellet admittere *disquiritur discutitur igitur*. Sed ne sensus quidem satis bonus est; neque bene pendent a verbo *discutitur* infinitiva illa quae sequuntur. Videor mihi subolfecisse quid scribis acciderit. Scripserat fortasse Capella... *disquiritur. malumus igitur ab his* etc. Somnolentus quidam ita transcripsit... *discutitur. malumus igitur ab his* etc. Hunc errorem detexit corrector quidam et *disquiritur* inter versus adjecit; in quam correctionem cum incidisset eiusmodi monachus, qualem et confratres sui stultum putarent, mira stoliditate *malumus* delevit et *disquiritur* in verborum con-

textum recepit. Vix mihi credetis, sed credite: ejusdem generis errorem noravi in Macrobiani loco 5. 12, 5, ubi Vergilium citat: *et sic fata Iovis poscunt*. Is qui Neapolitanum scripsit, homo nullis Anticyris sanandus, ita posuit: *et sic fata poscunt possunt*. Primus error ejus fuit, qui *possunt* pro *poscunt* scripsit; alter vero ejus qui, cum *poscunt* additum vidisset, pro *Iovis*, non pro *possunt* id vocabulum rescribendum putavit. Non magnopere mihi placet illud *malumus*, sed, cum quid primitus scriptum fuerit nullo modo scire possimus, satis erit fortasse si verbum sensui congruens reposuerimus.

11. 559K. (p. 280, 2 sqq.) Item (sc. locus est) a partitione, id est ἀπὸ τῆς διαίρεσεως, per omnes circumstantias, id est cum partimur per personas, tempora et cetera, quae varietas grata discriminat.] Quovis pignore contendam Martianum non ita scripsisse. Primum, obsecro, vide unde illa nata sint, quae Dickius ut Martiani verba excudit. Verba ea ἀπὸ τῆς ex Fortunatiano in hunc locum vel obtorto collo adducta sunt, cum eorum ne frit quidem in Martiani libris reperitur. Sed ne generativus quidem casus codicum testimonio nititur, pro quo omnes praeter B¹ *dieresin* Latinis litteris legunt. Ulterius si spectes, reperies minusculum illud verbum *a* in duobus codicibus legi, a ceteris quinque, quos quidem Dickius adhibuerit, omissum esse. Ut summatim dicam, codicum testimonio eo ducimur, ut in archetypo ita scriptum fuisse suspicemur: «item partitionem id est dieresin». Illud viris doctis offuit, quod rebantur Martianum ad verbum Fortunatiani naenias exscripsisse, quem tamen morem non saepe secutus est rabula noster. Nihil veri similis, quam vocabulum *per* ante partitionem excidisse, praesertim cum et *per* et *par* eodem scribendi compendio notarentur. Scripsit certe Martianus «item per partitionem, id est diaeresin...». Sed ne hic quidem cessare debemus, si locum corruptelis purgare velimus; nam nemini, ut firmissime credo, placebit epitheton illud *grata*. Nam quid, malum, ingratus septem illis circumstantiis – quis, quid, quomodo et ceteris? Non obtundam diutius, lector, ne emendationem mihi praecripias, adeo in promptu est: scripsit Martianus «varietas Graia discriminat». Non equidem ea ratione ducor, quod circumstantiae illae decantatissimae a rhetoribus Graecis primitus excogitatae sunt, adeo ut ne bonus quidem ille Remigius, in initio commentarii in Martianum, Graecis vel pseudo-Graecis vocabulis abstinerit, ut ΤΙΣ, ΤΙ, ΠΟΠΕ, ΠΑΤΕΝ et sim.; sed magis adverto ipsum nostrum Martianum frequenter in hoc libro ad doctrinam Graecam

alludere, ut 217, 1 <Eam Graecis placuit *ὑπόθεσιν* nominari>; 228, 16 <nunc τὸ κρινόμενον quod Graeci dicunt consequenter assumam>; 234, 16 <quam Graeci *ἀντικατηγορίαν* nominant>; 237, 7 <nota, quam Graeci etymologiam dicunt>; 239, 20 <a nota vel etymologia, ut Graeci dicunt>; 253, 7 <catachresin etiam Graeci, quam nos abusionem dicimus>; et multa similia facile invenies. Non disparem locutionem videre est p. 68, 10 <Manes igitur hic tam boni quam truces sunt constituti, quos *ἀγαθούς* et *κακούς δαίμονας* memorat Graia discretio>.

II

Neminem latet Martianum Capellam in quinto libro multa ex Aquilae Romani de figuris libello sumpsisse; quo cognito viri docti alterum ex altero aliquatenus emendaverunt. Nam cum neutrius verba emaculatissima ad nos a librariis tradita sint, ebriorum instar alter alteri monstrant viam, ita tamen, ut aliquando neuter sciat, ubi terrarum sint. Sed, si implicitos eorum gressus diligenter considerabimus, ambos ad quandam sensus et veritatis semitam revocare poterimus.

In ipso emendandi exordio necesse est memorare, magnam lacunam statuendam esse inter 522 et 523, quod vir vere doctus Carolus Halm primus ostendit. Nam cum veri simile non sit, Martianum de prosopopoeia, de ethopoeia, de aposiopesi, figuris notissimis, nihil omnino dixisse, tum illud credi non potest, eum statim et quasi per saltum a clausularum generibus ad sententiae figuras transilivisse. Sed de rebus eruditorum consensu decantatis nolo diutius disserere: quin hunc locum ne attigissem quidem, ni hinc eluceret id, quod in Martiani verbis constituendis non parum momenti habebit, nempe omnes codices nostros ex uno mutilo defluxisse, quod testantur et sescenti loci omnium consensu corruptissimi. Quam rem si animo semel perspexerimus, non multum olei disperdemus in quaerendo, qui codices Securi Melioris Felicis subscriptionem habeant quive non habeant.

Per totum hunc locum, qui est de figuris, inconstantiae cuiusdam arguendus est Dick., qui aliquando, ubi de lectione agitur, Aquilam testem citat, aliquando tacitus praeterit. Sic p. 260, 1 *addubitatio* legitur proculdubio recte, sed solius Bernensis testimonio, ceteris *dubitatio* habentibus, cum admonendus esset lector *addubitatio* et apud Aquilam legi. Ab Halmio autem post Ciceronem et Quintilianum editos vix postulandum erat,

ut huiusmodi minutias per omnia notaret. Itaque locos locis diligenter contuli, si forte melius, quam antehac, quae ratio inter hos aureos scriptores intercedat, intelligere possimus. Notandum est autem Martianum summa inconsequentia rem suam egisse, qui hic totas sententias ex Aquila, ne vocabulo quidem mutato, paene transcripserit, illic exempla quaedam tacitus omiserit, alios vero locos furtiva quadam mutatione in stribliginosum suum stilum transfundere conatus sit. Sed iam ad locos ipsos nos vertamus.

p. 260, 5 <Pugnem contra nobilissimorum hominum <voluntates?> studia, consilia rationesque eorum aperiam?>] *voluntates* ex Aquila reduxit Halmius, quod certe debuit Martianus scribere. Sed non omnino liquet, scribarumne fuerit ea negligentia, an ipsius Capellae.

p. 260, 10 *interroganti* certe false legitur, ut Ruhnkenius vidit, nam non de eo, qui interrogat, hic agitur, sed de eo, quod interrogatur.

p. 260, 16 ... ut Tullius pro Milone <si haec non gesta audiretis <sed> picta videretis.>] Ex Aquila haec verba ab editoribus emendata sunt, nam Martiani codices habent: <si haec nunc gesta audistis facta videretis.> Non adeo librariis credo, ut haec recte se habere existimem: sed tamen aliter corrigenda puto. Nam paulo infra alium Tullii locum citat Aquila his verbis: <Nonne vobis haec, quae audistis, oculis cernere videmini, iudices?> Veri simile mihi videtur Martianum, cum Aquilam festinantius exscriberet, ex duabus sententiis unam inconsulte fecisse hoc modo: <Si haec <quae> nunc gesta audistis, facta videretis...>.

p. 260, 20 *ἀντιπαγωγή* contraria inductio; haec figura est, cum aliquid difficile est et contrarium conferimus.] Difficilis sane hic locus. Alterum *est* in aliquot libris non reperitur: Aquila haec habet: <Antisagoge compensatio. Est autem huius modi, ubi aliquid difficile et contrarium confitendum est, sed contra inducitur non minus firmum.> Quid nunc putare necesse est, si cum Dickio *difficile est* etc. legimus? Primum quidem Martianum mira perversitate duo ista epitheta *difficile* et *contrarium* ita distraxisse, ut ad duas res diversas jam referenda essent; deinde nonnullos Martiani librarios vel casu vel consilio deorum immortalium idem illud verbum *est* omisisse, quod in Aquilae libris deest. Magis credibile mihi videtur, Martianum non totam Aquilae sententiam exscripsisse, sed tantummodo priora verba <cum aliquid difficile et contrarium confitemur.> Nam *confitemur*

non adeo multum distat a *conferimus*, et verbis *contrarium confitemur* bona clausula fieret, quod nunc abest. Periisse videntur aliquot verba, utputa <sed contra alia non minus firma proferimus>, nisi forte Martiano ea negligentia imputanda est.

p. 261, 13 Est igitur familiaris omni[s] narrationis generi quam Graeci *ειρομένην λέξιν* appellant...] Lacunosum esse hunc locum notavit vir peritissimus Carolus Barwick, cum de Dickiana editione iudicium litterarium ferret. Sed utinam tam facile vulnera Martiani curare quam animadvertere possemus. Aquila: «Est igitur omnis oratio aut soluta, nulla inter se necessitate numerorum neque composita membris quibusdam vel determinata certa circumscriptione verborum. Ea plerumque in sermone assiduo et in epistulis utimur: interponitur autem et judicialibus orationibus, ubi aliquid simile et proximum sermoni volumus effingere. Aut perpetua, quam Graeci *ειρομένην λέξιν* appellant...» Nunc quid faciendum? Certe, qui volet, verba nonnulla ex Aquila sumpta inter *generi* et *quam* interserere poterit, vix tamen sic, ut Martianum recte sapere et aperte dicere cogat; nam ipsum illud initium corrupte legi videtur. De narratione enim non agitur, sed de oratione; particula *igitur*, quae satis Latine apud Aquilam adhibetur, Martiani loco non congruit; *aut* particula, quam Aquila bene posuit, ut tripartitam suam divisionem induceret, ne apud Martianum quidem carere possumus; denique miramur aliquantum, si vocabulum *omnis*, quod simili loco apud utrumque auctorem reperitur, illic habet, quo referatur, hic non habet. Hoc unum perspicere mihi videor, sub Martiani verbis *omni[s] narrationis* latere *omnis oratio*: quomodo totus locus restituendus sit, minime dispicio.

p. 261, 14 quae ita conecitur, ut superiorem elocutionem semper proxima consequatur.] Et sensus et rhythmus meliores evadant, si *sequatur* legamus, quod Aquila habet. Scribae oculis obviam fuere *conecitur, convenit, conversum*, quae vicina reperies.

p. 261, 16 (Ea) et historiae convenit et narrationi et non conversum neque circumscriptum eloquendi genus desiderat, sed fustum atque continuum...] Pro *narrationi et legendum narrationi quae*, ut est apud Aquilam.

p. 261, 20 Est alia, quam Graeci *περίοδον* appellant] Meras nugas loquitur, nam nullum orationis genus a Graecis *periodus* appellabatur. Aquila: «Alia autem, quae ex ambitu constat, quem *περίοδον* Graeci appellant». Vel caecus videbit, verba *quae... constat* Capellae esse restituenda, quae propter pronomen relativum bis positum interciderunt.

262,7 quae multis constat ex membris, quae Graeci *κῶλα* dicunt, et ex caesis, quae *κόμματα* appellant.] Duo hic me sup-
pungunt. Primum nescio quo referre debeam relativum *quae*.
Deinde multitudinis notio ab hoc loco alienior videtur: satis
enim dictum erat, si hos duo terminos technicos (nostri sic rure
loquuntur) *colon* et *comma* induxisset et explicasset. Frigidum sane
est, in Ciceronis loco multitudinem membrorum notare. Certe
ei, qui se cautiores profitebuntur, facile relativum ad *περίοδον*
(262,1) revocabunt, sicut non deerunt, qui multa membra in
Ciceronis sententia demonstrare gaudeant. Sed multo melius, si
rem et rationem spectes, pro *quae multis* reponere *qui ambitus*.
Aquila: «Sed hic ambitus constat ex membris» etc.

262,13 pars orationis ex duobus aut pluribus verbis nondum
quicquam absolute significans] Apud Aquilam *nondum* ante *ex*
duobus collocatur, sed male; itaque ex Martiano Aquilam cor-
rigere debemus.

262,20 verum superior periodos constat ex duobus mem-
bris et ex tribus et ex quattuor, interdum et sex.] Quam absurda
haec sint, vel Dickium latuisse demiror. Vocabulum *superior*
delendum monuit Carolus Barwick supra laudatus, quod facile
ex *verūperiodos* oriri posset; sed et verba *et sex* perridicula sunt.
Quid, ex quattuor et ex sex membris periodos constare poterit,
ex quinque non poterit? Graviter ingemiscebam, cum viderem
summos viros Ruhnkenium et Halmium has nugas Aquilae obtru-
dentes, quae Martiano potius erant abjudicandae. Nam rhetorum
opinio fuit, ex pluribus quattuor membris ambitum constare non
debere: carmen de schematis p. 64 *RbLM*:

«Circuitus, peri quam dicunt odon, orta duobus
membris, ut praedicta, venit tetracolon adusque;
nam, si plura itidem jungas, oratio fiet».

Igitur legendum, ut ex Aquila cognoscere est, «constat autem
ambitus ex duobus membris et ex tribus et ex quattuor inter-
dum».

263,3 Optima igitur oratio fiet, si nunc ex ambitu periodico,
nunc ex illa continuatione perpetuae elocutionis aptetur, non-
numquam caesis interrupta fuerit, aliquando colon consociet.]
Videtur h.l. Martianus non intellexisse, quid voluerit Aquila.
Nam is docet optimam orationem fieri, si ex tribus generibus
componatur, i. e. ex oratione periodica, ex perpetua, et ex caesa,
quae genera statuit c. 18. Sed Capella ejus verba ita accepit,
quasi de caesis, i. e. de commatibus, non de caesa oratione agere-

tur; itaque de colis aliquid addendum putavit. Sed singularis numerus displicet, cum *caesis* plurali posuerit. Sane si *cola consociet* scribamus, nil nisi meliores reddamus et sensum et rhythmum.

263,11 fieri potest, ut sententiae figura coniungatur cum elocutionis figura, ut in ironia, quae figura est sententiae, epanaphora permiscetur, quae est elocutionis.] Sententiae structura displicet; nam si quis sanus Latinitatis auctor haec scripsisset, intelligendum erat in ironia semper inhaerere epanaphoran, quod ne pueruli quidem nesciunt esse falsum. Scribere debebat Felix noster: «ut si in ironia... misceatur». Sed cum Aquilae verba inspiciamus, qui exemplum ironiae cum epanaphora conjunctae exhibet, de quo exemplo, ut aequum erat, indicativo modo loquitur («cum hoc... dicatur, ...et ironia est... et epanaphora»), potius adducor, ut putem aut Martianum nimis festinanter locum exscripsisse, aut librarios exemplum omisisse.

263,14 sunt igitur figurae elocutionis aliae ad ornandam tantum et quasi pingendam orationem commodatae, quibus nunc utimur.] Locus perplexior; nam eadem fere, quae apud Martianum, desiderari et apud Aquilam videntur. Martiani editio princeps sic locum explevit: «Sunt igitur figurae elocutionis aliae ad ornandam tantum et quasi pingendam orationem commodate, aliae vero ad significationis vim intimandam». Certe si ita supplerentur Aquilae verba, bonam sententiam haberemus, nam ille figuras ita in duo genera dividit, ut schemata Gorgiea primum tractet, lectore tamen admonito, ne nimis eis indulgeat, deinde ceteras figuras, quae majus aliquid, quam inanem soni similitudinem, sectari videntur. Igitur eis assentio, qui Aquilam h.l. sic supplendum censent. Sed nonne optimo jure Tychen festivae cujusdam malevolentiae arguamus, si eodem modo bis peccavere librarii et eadem verba apud Martianum, quae apud Aquilam, fortuito omiserent? Equidem potius crediderim, infelicem nostrum Capellam in lacunosum Aquilae librum incidisse neque, quale mendum subesset, satis perspexisse. Sed ne sic quidem intelligo, quorsum tendant ea verba *quibus nunc utimur*. Si scripsisset *quibus non nunc utimur*, paullo sanius scripsisset; nam ex Aquila discimus, eas figuras a Gorgia ad extremam satietatem usurpatas, a sequioris aetatis oratoribus vel parcius adhibitas vel neglectas fuisse, quod satis quadrat cum eis, quae dicit auctor rhetoricorum ad Herennium 4, 32. Sed particulam *non* inserere paene desperantis est. Viderint peritiores.

263, 16 ἀντιθετον, id est compositum ex contrariis, cum verba pugnancia inter se paribus vocibus colliduntur vel paria paribus opponuntur.] Antitheton esse *oppositum*, non *compositum*, tam bene sciebat Capella, quam qui optime, itaque nullus dubito *oppositum* hoc loco ex Aquila reponendum esse. Cetera, quae Martianus dicit, satis bene se habent, sed emendandus Aquila, qui habet: «Antitheton, oppositum ex contrariis. Haec figura constat ex eo, quod verba pugnancia inter se paria paribus opponuntur». Martiani mos fuit ita Aquilam compilare, ut multa omitteret, nihil fere de suo adderet: censeo igitur ita supplenda Aquilae verba – «Haec figura constat ex eo, quod verba pugnancia inter se par (ibus vocibus colliduntur vel par)ia paribus opponuntur».

264, 5 impugnantibus] Recte admonuit Halm. *pugnantibus* legendum ex Aquila, sicut v. 7 *instruxit* pro *exstruxit* et v. 22 *praetor iste vel potius praedo* legenda docuit Ruhnkenius; sed nimis religiose Dickius servabat fatuos monachorum errores.

264, 9 πάριον, prope aequatum; haec figura differt a superiore (sc. isocolo), quod ibi omnium membrorum verba paria sunt numero, hic uno vel altero addito in quovis loco cetera excurrunt.] *omnium membrorum verba* Ruhnkenius dicitur restituisse, quod libentissime de viro eruditissimo crederem, ni annotationem ejus ad Aquilam (p. 168 editionis Lugd. Bat. 1768) inspexissem, ubi omnino aliud quiddam dicitur. Sed quicumque tandem emendavit, recte emendavit, nisi quod *omnia* retinere debebat: non enim de omnibus membris agitur, quibus sententia constet, sed de omnibus verbis, unde membra conficiuntur. Sed subest alia corruptela, nam videmus Aquilam habere *pariter excurrunt*, ubi Martianus habet *cetera excurrunt*. Certe hoc loco alter alterius ope indigent: legendum *cetera pariter excurrunt*.

265, 3 Memmius ad illud tempus] Absurdum nesciocuius monachuli commentum pro veris Martiani verbis accepit Dick., licet ante trecentis annis veram lectionem reduxisset Grotius ex Aquila, ut docuit Barwickius supra laudatus.

265, 6 (Nos, nos, dico aperte, nos consules desumus.) Exemplum ex Cicerone sumptum addidit Martianus, ita tamen, ut duo alia, quae apud Aquilam reperies, tacitus praetermiserit. Non mihi veri simile videtur, hominem qui Aquilae vestigia ita fere secutus sit, ut complura omittat, nihil addat, hoc uno loco ex suae doctrinae thesauris exemplum Tullianum deprompsisse. Itaque ab Aquilae librariis omissum credo, apud quem sine dubio ante illa, quae ex Philippica altera citantur, inseri debet.

266, 5 ἀντιστροφή conversio; haec figura hoc differt a superiore, quod illa ab eadem parte orationis saepius incipitur, haec in eadem terminatur.] Pronomen *illa* nequit ferri, vel, ut accuratius dicam, ab Halmio ferri nequibat, nam Dickius omnia aliquo modo ferenda constituerat. <in> *illa* reposuit Halmius, ad maiora, ut par erat, festinans: sed levior correctura sufficiet. Vereor enim, ne Poenulus noster, dum furtis suis nescioquem Punicae rabulationis colorem offundere temptat, pro *ibi* subtilissime reposuerit *illic*, quod scribae in *illa* corruerint. Quod si ita est, statim videmus, cur pro *haec* codices R¹B¹ habeant *bic*, quae vera lectio est.

266, 10 συμπλοκή, conexio. Nam etc.] Sententiam totam hic excidisse recte statuit Barwickius supra laudatus.

266, 12 <quis legem tulit? Rullus. Quis decemviros, quos voluit, creavit? Rullus.>] Olim me legere memini, nescioquos barbaros ita solitos numerare: «Unus, duo, multi». Simplicior sane fuit Martiani arithmetica, si *saepius* (v. 10) ea accidere dixit, quae bis accidissent. Melius Aquila: «Quis legem tulit? Rullus. Quis tribus sortitus est? Rullus. Quis decemviros creavit? Idem Rullus». Videre est in hoc Ciceronis loco ab Aquilae librariis verba *quos voluit*, a Martiani *Quis tribus sortitus est?* *Rullus* ommissa esse, ita tamen, ut integra ambobus restitui possint et debeant. Doctissime de hoc loco Albertus Gantz diss. de Aquilae exemplis, Berol. 1909.

Et haec quidem de comparatione Martiani Capellae et Aquilae Romani, in quibus, si cui videbor plus justo conjecturae indulsisse, is velim codices adeat, ubi videbit, quam manca quamque corrupta amborum verba ad nos pervenerint. Sed antequam a figuris orationis omnino discedam, emendandus est locus Macrobiï (Sat. 4. 6, 20), quem stultus ego non correxi. Haec dicit Macrobius: «Contraria huic figurae (sc. ecphonesi) ἀποσώπησις, quod est taciturnitas. nam ut illic aliqua exclamando dicimus, ita hic aliqua tacendo subducimus». Lege *exclamando adicimus*.

Nedlands

James Willis